AUTHOR:

BEYSCHLAG, WILIBALDI

TITLE:

DE CYPRIANO MAGO ET MARTYRE ...

PLACE:

HALIS

DATE:

1866

Master Negative #

93-81670-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

86C12 Beyschlag, Willibald 1823-1900
DA1
Q

De Cypriano mago et martyre Calderonicae tragoediae persona primaria dissertatio. Halis, 1866. Sq. Q. 13 p.
Halle (Ger.) university. Programm.

383329 Bound with another work.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/13/93 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

No. 2

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATAE
RECTOR

HENRICVS DERNBVRG

CUM SENATU
NOMINA CIVIUM SUORUM QUI IN CERTAMINE
LITERARIO IN DIEM XXII. MARTIS A. MDCCCLXVI
SOLENNIUM REGIS AUGUSTISSIMI NATALICIORUM
CAUSA INDICTO PRAEMIA REPORTAVERUNT
RENUNCIAT NOVASQUE SIMUL QUAESTIONES IN
ANNUM SEQUENTEM PROPOSITAS
PROMULGAT.

PRAEMISSA EST
WILIBALDI BEYSCHLAG
DE CYPRIANO MAGO ET MARTYRE
CALDERONICAE TRAGOEDIAE PERSONA PRIMARIA
DISSERTATIO.

HALIS
FORMIS HENDELIIS
A. MDCCCLXVI.

DE CYPRIANO MAGO ET MARTYRE TRAGŒDIÆ CALDERONIS PERSONA PRIMARIA.

Excellit inter fabulas Calderonis, illustrissimi poetae hispanici, „Magus mirificus", etiam in linguam teutonicam versa. Poematis hoc est argumentum. Degit Antiochiae Caesarum temporibus Cyprianus, vir philosophus, fictitiorum deorum cultu non contentus, sed unius dei veri invisibilisque appetens. Quem ut a veritatis salutisque consiliis avertat, Satanas amore Iustinae virginis cuiusdam christianae, quam et ipsam perdere studet, eum incendit. Cyprianus, dum iuvenum duorum nobilium de Iustina gladiis dimicantium discordiam componere studet, virginis pulcherrimae itemque honestissimae suavitate ipse capitur tantaque corripitur amoris insania, ut paratus sit, si modo sibi puellae copia detur, vel animae immortalis pretium solvere. Tunc obviam ei fit Satanas, hominis naufragi formam mutuatus, edoctisque artibus magicis Iustinam ei se traditurum promittit. Cyprianus, anima per pactum sanguine scriptum oppignerata, artibus imbuitur magicis Satanaeque auxilio Iustinam omnibus sensuum illecebris circumdat vocibusque ad libidinem vocantibus aggreditur. Sed vana fit omnis Diaboli opera, qui sensus quidem excitare potest, liberam voluntatem vi cogere nequit. Itaque repellitur a virgine

divinum auxilium invocante, Cypriano autem nil nisi vanam Iustinae speciem attrahere potest. Quam ille arripiens tetrum amplectitur cadaver terribilique spectri voce de huius mundi vanitate monetur. Unde revocatus ad sobrietatem e libidinis crapula Cyprianus diabolo servitium renunciat. Satanas eum negat etiam nunc salvum fieri posse, quippe qui animam sibi obstrinxerit; sed quum negare non possit Iustinam dei sui praesidio sibi superiorem fuisse, infelix ad eundem christianorum deum confugere statuit, ut ex satanae potestate liberetur. Eodem tempore Proconsul Antiochenus persecutionem Christianorum molitur, in quam incidens Cyprianus et omnia, quae expertus sit, publice confessus supplicio afficitur una cum Iustina illa, nunc in mortis limine sanctum amorem non recusante, et sic pactum cum Satana sanguine scriptum sanguine abluit.

Incurrit in oculos eximia huius fabulae cum teutonica illa, quam Goethius noster excoluit, similitudo. Impares sane teutonici et hispanici poetae opes viresque; quamquam etiam Margaretham illam eiusque cum mago et cum daemone relationem cum Iustina Calderonica comparare licet. Impar etiam utriusque magi exitus, alter quum per Iustinae spectrum ad conversionem salutemque trahatur, alter per Helenae spectrum ab inchoata poenitentia retrahatur in Satanae inevitabile dominium. Verum tamen in ipsa dissimilitudine quaedam utriusque fabellae aequalitas atque propinquitas apparet; itaque operae pretium est, neque nostratium litteris prorsus alienum esse videtur, de Cypriani illius Calderonici persona et historia paucis disquirere.

Historia Cypriani et Iustinae martyrum inde a saeculo quinto bene nota fuit ecclesiae et Orientali et Occidentali. Narratur in martyrologiis Adonis, Simeonis Metaphrastae, aliorum, eiusdem mentio fit apud Prudentium poetam, eamque Eudocia Augusta, Theodosii II uxor, tripartito carmine heroico tractaverat, cuius operis epitomen nobis praebet Photius in Bibliotheca (ed. Imm. Bekker. I. p. 128—129). Sed exstat etiam Cypriani Iustinaeque mentio his omnibus vetustior, in Gregorii nempe Nazianzeni homilia vigesima quarta, quae proprie in illius martyris honorem habita est eiusque vitam ea qua Gregorius uti solet copiosa eloquentia narrat. Verum haec Cypriani apud Nazianzenum commemoratio, omnium longe gravissima, non parvam nostrae quaestioni affert difficultatem. Photii enim narratio Cyprianum illum Antiochiae vixisse et Diocletiani temporibus mortem obisse testatur, Gregorius vero eadem, quae ille de mago quodam Antiocheno, de Thascio Caecilio Cypriano, Carthaginis episcopo Decianaeque persecutionis aequali narrare videtur. Sic enim de eo loqui incipit: *οὗτος ἐκεῖνος, τὸ μέγα ποτὲ Καρχηδονίων ὄνομα κ. τ. λ.*, expositisque omnibus, quae de Cypriani disciplina magica, amicitia cum diabolo, malis artibus in Iustinam, denique conversione ad Christum audivimus, pergit martyris laudes dicere his verbis: *εἶτα ποιμὴν (γίνεται) καὶ ποιμένων ὁ κράτιστός τε καὶ δοκιμώτατος· οὐ γὰρ τῆς Καρχηδονίων προκαθέζεται μόνον ἐκκλησίας οὐδὲ τῆς ἐξ ἐκείνου καὶ δι' ἐκεῖνον περιβοήτου μέχρι νῦν Ἀφρικῆς, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Ἑσπερίου. σχεδὸν δὲ καὶ τῆς ἑῴας αὐτῆς, νοτίου τὲ καὶ βορίου λήξεως, ἐφ' ὅσα ἐκεῖνος ἦλθε*

τῷ θαύματι· οὕτω Κυπριανὸς ἡμέτερος γίνεται. Sequuntur aliqua de Cypriani virtutibus in episcopatu probatis, sed ea ratione, ut bene observes, Gregorio accuratiora de illius episcopatu nota non fuisse; quibus dictis orator pergit ad Decianam persecutionem ac breviter et exilium et martyrium Cypriani attingit.

Hanc Gregorii homiliam si solam respiceres, facile totum illum magum Antiochenum esse fabulam in T. Caecilii Cypriani honorem fictam suspicareris; cum vera enim huius vita narrationes illas non convenire quis dubitet? Hac ductus sententia doctus operum Cypriani editor Oxoniensis, Ioannes Fellus episcopus, Cyprianum magum fictitium esse censuit, neque aliter inter recentiores Hagenbachius vir illustrissimus, ubi vitam Caecilii Cypriani adumbrat (Herzog, Theol. Encycl. s. v. Cyprianus), iudicare videtur, quum de incerta loquatur fama, qua ille magiae operam dedisse dicatur. Sed quidnam tandem graecum fabulatorem moveret, ut ecclesiae latinae episcopo fabulas affingeret cum vera huius vita nulla in re congruentes? Quae si Caecilio Cypriano honori esse aut credi voluissent, saltem non erant Antiochiam traducendae, quum et in Africa et in Syria nemo nesciret Cyprianum Carthagini, non Antiochiae vixisse. Nazianzenus vero, si ita res se haberet, multo accuratius distinctiusque fabulosas quam veras Cypriani res proferret. Apparet enim Cyprianum magum multo melius Gregorio notum fuisse quam Cyprianum episcopum, quem dicit „trinitatis divinitatem, quam nonnulli scindebant, nonnulli contrahebant, ad veterem statum reduxisse", quasi in ecclesia Orientali quartoque

saeculo vixisset ille et de dogmate nicaeno, non de disciplina ecclesiastica ei agendum fuisset. Quae si recte consideramus, id potius suspicabimur, duos hic Cyprianos commixtos esse, Antiochenum sub Diocletiano passum, et Carthaginiensem ex Deciana persecutione illustrem. Neque mirabimur Gregorium in hanc confusionem incidisse, si accuratius expendimus, qua conditione illa de Cypriano homilia ei habenda fuerit. Intercedebat ei, ut ipse testatur, cum ecclesia illa, quae *δι' ἔτους τιμαῖς καὶ πανηγύρεσι* Cyprianum celebrabat, *βραχεῖα* adhuc *συνήθεια*, ita ut istorum solemnium originem et significationem huc usque ignoraret. Celebrandus erat procul dubio ille Antiochenus, quippe qui Orientalis ecclesiae decus esset, sed Gregorius, qui de hoc martyre minus noto nondum audisset, nonnisi Carthaginiensem cogitabat. Accedebat quod ipsius orationis exordium confitetur: paene praeterlapsus erat dies martyris solennis, quum episcopus e secessu quodam, ut videtur, in ecclesiam rediret; tunc festinanter aliquam de martyre celebrando narrationem arripiens (quum etiam Carthaginiensis Cyprianus obiter tantum ei notus esset) et in libellum incidens de Antiocheno scriptum, ea quae ibi mirabilia et sibi accepta inveniret, imprudenter in Carthaginiensem transtulit e hac ratione fortasse etiam auditoribus unum eundemque fuisse utrumque Cyprianum persuasit. Indicat ipsa oratio, unde hausta sit repentina illa de Cypriani artibus magicis et in Iustinam virginem experimentis notitia: *ὁ δὲ (Κυπριανός)*, inquit, *καὶ μακρῷ λόγῳ στηλιτεύων τὴν προτέραν ἑαυτοῦ κακίαν, ἵνα καὶ τοῦτο θεῷ καρποφορήσῃ. τὴν ἐξαγό-*

ρευσιν, καὶ πολλοῖς ὁδὸς γένηται τῆς χρηστοτέρας ἐλπίδος τῶν ἀπὸ κακίας ἐπιστρεφόντων.

Huius libri si vestigia scrutamur, ad Cypriani magi personam et historiam propius, quantum fieri potest, accedemus. Commemoratur enim etiam alibi in ecclesia antiqua Cypriani *ἐξαγόρευσις* sive Confessio, ut in concilio romano sub exitum saeculi quinti habito, ubi Gelasius I. pontifex apocrypham eam iudicavit, sine dubio in Carthaginiensis Cypriani honorem eam scriptam esse opinans. Sed etiam ad nos pervenit libellus primumque in versione latina vetere, mala sane et corrupta, typis evulgatus est a Fello episcopo Oxoniensi ad calcem operum T. Caec. Cypriani; tunc vero etiam graeco textu reperto denuo in latinum vertit novaeque operum Cypriani editioni adiecit eum Prudentius Maranus. Audimus hic Cyprianum enarrantem vitam suam in Satanae servitio actam, scelera innumerabilia perpetrata, artes magicas in Iustinam tentatas, denique experientiam de signo crucis Satanam superante et conversionem ad Christum Eusebio quodam adiuvante perfectam. Quae si conferimus cum Eudociae carmine a Photio excerpto, trium illorum Eudociae librorum alterum ex hac confessione ita haustum esse invenimus, ut vix aliud quam versus heroicus carmen a confessione distinxisse videatur. Sed etiam primi et tertii carminis Eudociani fontes, Iustinae nempe historiam et commune eius cum Cypriano martyrium continentes, nobis exstant, latino quidem sermone, sed graecam originem prorsus redolente; quos coniunctim cum Confessione Cypriani ediderunt Edmundus Martene et Ursinus Durand in

suo Anecdotorum thesauro (vol III, pag. 1618 seqq.). His tribus in libellis omnia fere nobis obversantur Calderonicae tragoediae lineamenta, etiam illa veri dei divinatio, quam poeta iam initio fabulae Cypriano adscribit, — „cogitabam enim, inquit Cyprianus, si dominus malorum est diabolus, bonorum creator quis est?“ Itaque non dubitandum est, ex his scriptis latine versis et in Occidente quoque pervulgatis poetam hispanicum Magi mirifici fabulam hausisse.

Hi tres libelli an unius auctoris sint, non satis liquet: quamquam unusquisque eorum alteris supplemento sit, tamen alter non est prioris mera continuatio. Id tantum constat, eos iam antiquitus iunctos exstitisse, quum Eudocia Augusta eos simul in metrum heroicum transtulerit. Amplissimus ex iis et qui legatur dignissimus, Confessio Cypriani, ita est scriptus, quasi ipse Cyprianus auctor sit; sed rebus immodicis incredibilibusque tantopere scatet, ut ab ipso martyre, nisi eum putares iactatorem mendacissimum, exaratus esse prorsus non possit. Verum non ita multum post Cypriani mortem scriptum esse constat, quum Nazianzenus primis suis, ut videtur, episcopatus Constantinopolitani temporibus, i. e. septuaginta fere annos post Diocletiani persecutionem, iam eum legerit. Quisquis autem contexit, libellus mirum praebet aetatis speculum: de deorum non vanitate sed veritate daemoniaca, de Satanae eorum principis potentia et inopia, de magiae fontibus artibusque, de signo crucis vi mirifica praedito, de tota illius aetatis superstitione varia hic reperias sparsa. Quare viro-

rum doctorum animadversioni hoc scriptum nunc oblivioni traditum commendare licebit.

Sed redeamus ad Cyprianum ipsum. Haeccine de eius vita testimonia dilui iudicemus Eusebii silentio, libri VIII capite XIII in sua martyrum sub Diocletiano passorum memoria nullam Cypriani mentionem facientis? Sed Eusebius non id consilium est secutus, ut omnes illius aetatis martyres enumeraret, sed illustrissimos elegit, ut ex Antiochenis unicum Lucianum presbyterum. Quid igitur obstat, ne in magno illo martyrum Antiochenorum grege, de quo loquitur capite XII, etiam Cyprianum Iustinamque collocemus? Id tantum in dubium vocari poterit, num episcopatus gradum Cyprianus obtinuerit, ut volunt narrationes posteriores, praesertim quum Anthimus ille, cuius successor et in episcopatu et in martyrio fuisse dicatur, non Antiochiae sed Nicomediae ecclesiam rexerit: fortasse ex martyrii successione, quod Cyprianus quoque Nicomediae obiisse fertur, etiam episcopatus successio per errorem facta est. Sed omnino vixisse Cyprianum Antiochenum ac tali fere, qualem libelli de eo scripti enarrant, ad Christum via usum esse non addubitandum, quum et historiarum et solemnium eius iam Nazianzeni temporibus vigentium origo mere fictitia cogitari non possit. Celebrabantur Cypriani et Iustinae „natalicia“ in ecclesia Orientali II mensis Octobris. Sed etiam in Occidentem Antiocheni martyris memoria transmigravit, quum dies martyrum ex singularum regionum solemnibus ad universalem observationem eveherentur. Itaque ecclesia occidentalis duos

celebrabat Cyprianos, Carthaginiensem XIV. mens. Septembris, Antiochenum una cum Iustina eiusdem mensis XXVI, hac ipsa dierum diversitate Gregorii confusionem refellens. Quae quum ita sint, Calderonis Magum mirificum fundamento vere historico, quamquam ad illius aetatis rationem fabulosis accessionibus superaedificato, niti apparet. —

Nunc dicendum est, quo successu a commilitonibus nostris de praemiis certatum sit.

Summe venerabilis Theologorum ordo

superiore anno hanc proposuerat quaestionem:

Inquiratur et diiudicetur ratio libri apocryphi, qui tertius Ezrae *vocatur, fontibus eius accurate investigatis atque collatis.*

neque ea successu suo caruit. Exhibitae enim sunt duae disputationes, quaestionem laudabili industria aggressae, et eo quidem successu, ut de ratione, qua liber ille fontibus suis usus atque in argumento suo versatus sit, examinatis hominum criticorum sententiis ac refutatis, multo rectius statuerint, quam hucusque factum est. Quarum quae lemmate μεγάλη ἡ ἀλήθεια καὶ ὑπερισχύει signata est, praesertim instituta continua textus cum fontibus et accurata comparatione tam diligentiam quam acumen et iudicium Ordini probavit; sed ad duas alias quaestiones abduci se passa est, ab hac aut alienas, aut certe remotiores (nimirum ad fontium censuram historicam, et ad nominum propriorum, incredibilem in modum corruptorum, emendationem, cui laborem improbum non sine acumine impendit); sic operam, quamvis per se non contemnendam, magis dissipasse quam recte collocasse dicenda est. Latina oratione utitur haudquaquam ineleganti, at non satis emendata, et artificioso quodam ac difficili verborum ordine impedita. — Altera vero commentatio, non dicto quodam sed litera geminata B. B. signata, quaestionibus illa quidem latius patentibus multo magis quam prior intenta, neque in his sine fructu versata, eo tamen reprehendenda est, quod nec continuam textus cum fontibus instituit comparationem iudicio suo fundamenti instar substructam, exhibitis fere singulis exemplis contenta, nec satis apto ordine procedit. Accedit quod Latinus sermo Germanismis horret.

Quae quum ita sint, utramque commentationem praemio proposito dignam censuimus, quod ita distribuere visum est, ut utrique dimidium contingat, nisi forte a procerum munificentia impetratum fuerit integrum utrique impertire.

Rescissis schedulis nomina comparuerunt:

Guilelmus Böhme, Megalopolitanus,
philologiae studiosus.

Rudolfus Niemann, Magdeburgensis,
theologiae studiosus.

Illustris Ordo Iurisconsultorum

duas quaestiones, unam huius anni, alteram ex praeterito repetitam proposuerat, nec omnino defuerunt commilitones, qui his tractandis et illustrandis operam darent. Commentatio his verbis insignita: „Pacto melior conditio mulieris fieri potest deterior non potest." oblata est Ordini, qua doctrina iuris Romani de paotis dotalibus exponitur. Cuius commentationis auctor virorum doctorum quidem, qui nostra aetate extiterunt, libros perscrutatus est, nec non dilucido atque perspicuo sermone rem illustravit, sed ad fontes, unde solidiorem notitiam et veram doctrinam hauriret, ascendere dedignatus est, ut nec ipse novi quidquam invenerit, nec quae ab aliis investigata sunt, satis diligenter collegerit. Itaque Ordo Ictorum hanc commentationem praemio dignam esse non censuit.

Maiore usus est et diligentia et disserendi arte auctor, qui animum applicavit ad alteram ab Ordine propositam quaestionem:

de differentiis quae intersunt inter flumen publicum et privatum secundum iuris communis Germanici et Borussici praecepta.

Huic commentationi lemma inscriptum est: „Das allgemeine Bedürfniss der Jetztzeit ist der Mosesstab, der an den Felsen der Zeit schlägt, dass er Wasser gebe.'

Auctor in praeceptis, quae ad flumina tam publica quam, ut hodie dicimus, privata spectant, ex iure Romano, ex iure Germanico et Borussico perscrutandis non modicam adhibuit diligentiam, et iuris praecepta non sine sagacitate et haud vulgari eruditione illustravit. Sententias quidem glossatorum praetermisit, nec capitularia nec omnes imperii Germanici leges investigavit, sed summo studio maximoque fructu auctorum, qui inde a saeculo XV. extiterunt, libris usus est, et doctrinae propositae historiam plerumque apte satis et concinne composuit. Integrum igitur praemium ei tribuere decrevit Ordo.

Schedula rescissa nomen comparuit:

Gustavus Bergmann, Halberstadiensis,
studiosus iuris.

Gratiosus Medicorum Ordo

sine eventu problema commendavit.

Amplissimus Ordo Philosophorum

tres proposuerat quaestiones, primam philosopham hanc:

Exponatur et examinetur Lessingii doctrina de religione.

Traditae sunt ordini tres commentationes; in prima quidem pariter atque in secunda Lessingii sententia de religione neque accurate exposita neque omni ex parte exhausta est. Auctor tertiae commentationis, cui lemma: Er war kein Freidenker, sondern ein Rechtdenker praemissum est, Lessingii scripta diligentissime legit et perscrutatus est, nec non loca ad rationem religionis spectantia non sine acumine exposuit atque in ordinem ita redegit, ut Lessingii de religione sententia perspicue eluceat. Quare non dubitavit Ordo huic praemium integrum adiudicare. Reclusa schedula nomen comparuit:

Friedericus Goldmann, Saxo-Borussus,
philologiae studiosus.

Altera quaestio historica proposita fuit haec:

Colligantur et diiudicentur omnia, quae de genere, bonis et rebus gestis comitum de Bucha in Thuringia nobis tradita sunt.

Tradita Ordini una commentatio, quae prae se fert lemma: si quid novisti rectius istis Candidus imperti: si non, his utere mecum. Historia comitum de Bucha a nemine dum satis investigata aut conscripta, ab auctore commentarii quantum fieri potuit, accurate et summa cum diligentia explorata, omnia ad eam spectantia collata, recte diiudicata et sermone claro prolata sunt; quapropter Ordo commentarium praemio dignum censuit. Schedula rescissa nomen prodiit:

Maximilianus Rehmann, Brandenburgensis,
philologiae studiosus.

Tertia quaestio, quam ordo proposuerat:

An liceat crystallorum systema rhombicum et clinorhombicum in unum systema subiungere.

duorum iuvenum studia excitavit: sed neque commentatio, quae munita est lemmate: Nur Thaetigkeit, nur Thaetigkeit, neque altera, quae insignita est verbis: Natur never deceives us ita satisfecit, ut praemio potuerit ornari. Tamen ne industria et labor in solvenda quaestione collocatus plane esset irritus, uterque iuvenis honorifica mentione et commendatione Ordini dignus visus est.

Schedulis apertis comparuerunt nomina:

H. L. Börner, Guestphalus,
stud. math.

F. H. J. Kayser, Regiomontanus,
stud. philos.

Iam indicenda sunt in annum proximum argumenta, quae singuli Academiae Ordines commilitonibus commendant.

Summe Reverendus Theologorum Ordo

postulat, ut

Dionysii Areopagitae dogmata exponantur, et ostendatur quae sint in iis Neoplatonismi vestigia.

Illustris Iurisconsultorum Ordo

hanc proponit quaestionem:

Disseratur de thesauri inventione ex iure Romano, Germanico et Borussico.

Gratiosus Medicorum Ordo

non solum iterat priorem quaestionem *de plantis cryptogamicis, quae in variis hominum et animalium morbis adsunt*, sed etiam novam commendat hanc:

Quaerantur medicamenta trichinae spirali, praecipue intestinorum, nocifera, et eandem ob causam in trichiniasi hominum non sine spe adhibenda, ita quidem ut observationes et pericula artis medicae adhuc deficientia in animalibus trichinosis caute instituantur.

Amplissimus Philosophorum Ordo

duo commendat argumenta, primum litterarum antiquarum studiosis:

De Xenophontis libris VII Historiae Graecae cum iudicia doctorum hominum vehementer dissentiant, quorum alii negent sinceram operis formam esse servatam, multi fidem historicam et integritatem desiderent vel sermonem Graecum reprehendant: poscuntur quaestiones tripartitae de Hellenicorum authentia, oratione, fide usuque in historiis illius aetatis conscribendis.

tum iis, qui physicorum studio operantur:

Vibrationes laminarum et tabularum experimentis demonstrentur, theoria vibrationum explicetur.

Haec vobis, commilitones, proposita sunt argumenta, ad quae tractanda ut strenue accingamini et digna inde praemia referatis, etiam atque etiam vos cohortamur.